

3.

(Biblioth. Goth. Cod. Chart. A. 406.)

Friderico Myconio.

Pax tecum. Quod pace tua dixerim. Non videtur mihi tua fortuna conferenda cum nostra. quanquam enim uterque simus beneficio Christi mundo invisi atque ingrati, ea tamen in parte tu me felicior es, quod de vocatione tua certius in persecutionibus tuis, quas ab adversariis sustines, gloriari sancte et pie potes et debes sane non solum non frangi aque gradu, quod dicitur, dejici per eas tempestates, mi Frideriche, verum etiam, id quod facis, animosior reddi, si quidem id te jubet dominus, nolite, inquit, metuere eos, qui corpus occidunt. Mea vero longe est alia ratio, non petuntur heic tantum corpora nostra, non fama, non honores, non facultates, quae omnia tanta sunt, quanta a domino accepimus, quaeque reddere reposcenti parati sumus quandocumque tempestivum ipsi videbitur. Sed petuntur heic conscientiae nostrae, petuntur animae nostrae et nostrorum omnium, impetitur postremum CHRISTI domini et salvatoris nostri gloria. Qui fiat hoc, tute rogas? dicam. Calumniatur adversarius me heic non vocatum alienam occupare domum. Ego vero contra et dico et scribo. Adpello magistratus testimonium et civitatis, eamque testium adpellatorum conditionem intelligo, ut neutra sibi pars satis constet. Magistratus palam negat eam, quam ego allego, vocationem, iis interim, qui me isthuc nomine vocarunt, constanter tacentibus. Quid vulgus? Studio in contraria scinditur. Dierum quidem decima hebdomas agitur, ex quo elapsum annuae vocationis meae terminum ecclesiae meae procuratoribus significavi me inservire ipsis amplius hoc non posse. Quid illi? Quovis sunt pisce magis muti, heic quidem, ubi ad rem dicendum est aliquid, et de vocando ecclesiae ministro consultandum. Verum ubi lacerandus et flagellandus ego sum, heic omnium sunt linguae scorpiones et si quid hoc flagelli genere esse potest crudelius. Mortalium nunc vivit nemo Justo iniquior, Menio nemo magis